



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Adversvs Omnia Catabaptistarvm Prava Dogmata
Heinrychi Bullingeri lib. IIII**

Bullinger, Heinrich

Tigvri, 1535

VD16 B 9759

Mores catabaptistarum

urn:nbn:de:hbz:466:1-35433

uestra moribus Christianis, et legibus publicis repugnant. Nec dici potest quam amara quamque uenenata in magistratum hic euomatis. SIMON. Mihi ista nunquam placuerunt. IOIADA. At fiunt ab ipsis. Grauia quædam ex Psalmis et prophetis decerpunt, quæ meditata in magistratum iaciunt, idque amarissime. Placent hæc immorigeris et inobedientibus magnopere, quum scriptura dicit (sic enim magistratus et iudices uocat) maledicere prohibeat. Graphice hos depingit sub nomine falsorum prophetarum Petrus in posteriori epistola cap. 2. Magistratus (inquietant) o ciues, Christianus non est, uerum uos obedi- te illi. Ipsi uero ne in minimo quidem obedire sustinet, iuramenta magistratibus praestita non seruant, et magistratus omnes abolere moluntur, ut liceat eis quod libet. Paulus dicit: Si non uis timere potestatem, fac quod iustum est: isti uero potestatem metuant (abolere enim conantur) malum ergo facere uolunt. Iude ergo Gaulonitis, et Sibæ filij Bochri socij sunt, quorum uberculum perduellio est, digna morte trucidatur. De Iuda Gaulonite uide Ioseph lib. antiquit. 18. cap. 1. Act. 5. Seditionem mouit in plebe, quam spe libertatis falsa se ducens, cum multis tandem perijt.

De Siba est 2. Regum 20. Filij Belial tales seditionis in scripturis appellantur. Quare si me audis Simon, falsa hac opinione relicta ueritati post hac adherebis,

L I B E R III.

*& magistratui obedies. SIMON. Parebo con
silijs tuis, nam satis superq; hanc opinionem mihi exea
misti. De Iure iurando uero quod sentis ne mc cæles,*

QVOD CHRISTIANVS AD ROGA
tionem iuris iurandi à magistratu uocatus, sa=
cramento respondere & poſſit
& debeat.

I O I A D A.

V.
TRACT.

Qvid hac in re dubij habes? an tu putas id
Christianu non licere? SIMON. Haud
quaquam licere puto. Nam Christus Matth.
5. manifestis uerbis iurare uetat, dicens: Ne iuretis o-
mnino. Cui Iacobus 5. capite consonat. An ergo iuri-
randum iuramentum non est? Quid multis? Christiani
nisi fori interdicuntur, quid ergo ad eos iuramenta?

I O I A D A. Quod Christianis hominibus cau-
fas in foro pro rebus ad hanc uitam necessarijs agere
liceat, ex superioribus satis probatum est ex cap. 6.
prioris epistolæ ad Corint. Omnis autem erroris oca-
casio hinc serpit, quod Christi sententiam Matt. 5. aut
non uidetis, aut uidere non vultis. Quandoquidem
igitur rerum uocabula ignoratis, facile fit ut in re
ipsa erretis & hallucinemini. Ea uox Germanica
(schweeren) cui uos Græcam εἰποσκῆμ, Latinam
iurare,